



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 4. Pax Wladislaum inter & Maximilianum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](#)

dere sese junxerunt. Perfunctus hisce Sæcul.XV.  
 bellis Wladislaus, adversus Maximilia- A.C.1491.  
 num Romanorum Regem arma sume-  
 bat, ut ab eo nonnullas Hungariæ ur-  
 bes, quas ipsi eripuerat, repeteret;  
 Potitus ille erat Hamburgensi arce, at-  
 que non procul a Viennensi urbe Bohe-  
 morum exercitum fuderat; attamen,  
 cum Fridericus ejus Pater filio militaria  
 stipendia negaret, eique auctor esset,  
 ut Austria contentus, quæ in Hungaria  
 possideret, Wladislao cederet; Maximi-  
 lianus Germanorum Principum conven-  
 tum coegerit. Hi tamen haud magis pro-  
 pitii, auxilia adversus Wladislaum dare  
 reluctati sunt.

## §. IV.

*Pax Wladislaum inter & Ma-*  
*ximilianum.*

Wladislaus hac rerum opportunitate  
 auctus, copiis in aciem eductis  
 Albam regalem, aliasque urbes occupavit,  
 haud dubie victoriæ cursum ac ampliora  
 perfecturus, nisi Casimirus Poloniæ Rex  
 inter utrumque Principem pacem conciliasset, cujus articulos Bonfinius inte-  
 gros recenset hunc in modum: *Hunga- Bonfin. dec.*  
*ræ regnum ad Maximilianum, aut ad le- 5. lib. 2.*  
*gitimos ejus hæredes recideret, si Wladis-*  
*laus sine filiis legitimis deceperisset: interea,*  
*Regni*

Sæcul. XV Regni Regisque Hungariæ titulus penes om-  
A.C. 1491. bos resideret: Vladislaus pro belli superio-  
 ris sumptibus Maximiliano centies mille  
 nummum aureorum penderet: summi hono-  
 res ac Regni dignitates, nisi interposita am-  
 borum Regum auctoritate, & jurejurando  
 utriusque dato, nulli concederentur: denique  
 eosdem uterque Rex amicos eodemque loco  
 ac honore Hungaros æque ac Germanos ha-  
 beret, jureque societatis alter alterum bello  
 juvaret.

## §. V.

*Apparatus Regis Catholici pro ob-  
dione Granatensi.*

*Naucler  
chron. vol. 3.  
gener. 50.  
p. 505.*

*Æl. Ant.  
Nebrissens  
in præf.  
dec. 2.*

*Surita l. 20.  
c. 8. & seq.*

Tandem hoc anno Castellæ & Arrago-  
 niæ Rex armis suis subjecit totum  
 Granatæ regnum octingentis ferme an-  
 nis Maurorum imperio obnoxium. Prius-  
 quam vero Ferdinandus tanti momenti  
 rem aggrederetur, hyeme Hispali exacta,  
 totum tempus pro gloriofa hac expedi-  
 tione in necessario armorum apparatu in-  
 sumpsit: primo autem Vere Rex Villene  
 Marchionem cum tribus equitum, & de-  
 cem millibus peditum præmisit, qui in  
 agros populabundus excurrens, circa  
 Granatam ignobiliores urbes everteret,  
 eo consilio, ut incolæ vastatis segetibus  
 eo citius famis injuria pressi subigeren-  
 tur, & eversarum urbium civibus, at-  
 que agricolis turmatim ad Metroplim

con-